

geniem suam, qui condiderunt urbem, ibi contra progenies eorum propter avaritiam contra leges ex segetibus fecit prata, ignorantes non idem esse agri culturam et pastionem. alius enim opilio et arator, nec, si  
 5 possunt in agro pasci <armenta>, armentarius non aliut ac bubulcus. armentum enim id quod in agro natum non creat, sed tollit dentibus. contra bos domitus causa fit ut commodius nascatur frumentum in segete et pabulum in novali. alia, inquam, ratio ac scientia  
 10 coloni, alia pastoris: coloni ea quae agri cultura factum ut nascerentur e terra, contra pastoris ea quae nata ex pecore. quarum quoniam societas inter se magna, propterea quod pabulum in fundo conpascere quam vendere plerumque magis expedit domino fundi et  
 15 stercoratio ad fructus terrestres aptissima et maxume ad id pecus adpositum, qui habet praedium, habere utramque debet disciplinam, et agri culturae et pecoris pascendi, et etiam villaticae pastionis. ex ea enim quoque fructus tolli possunt non mediocres, ex ornitho-  
 20 nibus ac leporariis et piscinis. e quis quoniam de 6 agri cultura librum Fundaniae uxori propter eius fundum feci, tibi, Niger Turrani noster, qui vehementer delectaris pecore, propterea quod te empturientem in campos Macros ad mercatum adducunt crebro pedes,  
 25 quo facilius sumptibus multa poscentibus ministres, quod eo facilius faciam, quod et ipse pecuarias habui grandes, in Apulia oviarias et in Reatino equarias, [qua] de re pecuaria breviter ac summatim percurram ex sermonibus nostris collatis cum iis qui pecuarias  
 30 habuerunt in Epiro magnas, tum cum piratico bello inter Delum et Siciliam Graeciae classibus praeessem. incipiam hinc [hic intermisimus].

5 *add. Keil* || 10 *ea quae v et libri recentiores. aequae (adposita nota mendi Vicl.)* || 14 *expedit m v. expetiit* || 17 *agriculturae v. agri culturam* || 19\* *ornitoribus (ornithonibus V)* || 22 *turrani (Turranni V)* || 23 *propter quod Reitzenstein* || 28 *del. Urs.* || 32 sq.\* *incipiam hinc HIC INTERMISIMVS (haec duo voc. om. V) cum menates* ||